

Contremique artus, tristis quum nuncius aures  
 Perculit ah! fœdos inter Othomanidas  
 Versari extremo Rogerum in limine lethi!  
 Jupiter, ut mœror mi gravis obruerat  
 Mente animi! assiduis ut luctibus externato  
 Incubuit magna mole dolor! socii  
 Objiceret quum se vigili pallentis imago,  
 Turbarentque animum somnia dira meum.  
 Infelix! longe nunc ille aut æger anhelam  
 Axe sub ignoto vix trahit ore animam,  
 Aut Thraces inter nulli defletus amico  
 Me miserum! obscœna contumulatur humo.  
 Nec profunt, pura coluit quas mente, Camoenæ,  
 Pulchraque Calliope, candida & Uranie.  
 Quamvis tempa Deam coeli super alta volantem  
 Vsque sequens celeri flammeus ingenio  
 Astrorum positus, ortusque, obitusque notaret,  
 Dein caneret cultis omnia carminibus,  
 Quæ Rhodani, & Tamesis probat accola, maxima rerum  
 Quæ probat, & cupido lumine Roma legit.  
 Eximius Phœbi cultor, cultorque Mathesis  
 Num minus immitis tristia Persephones  
 Jura subit, fatoque cadit præceptus acerbo!  
 Jam cadit, aut cecidit; me miserum! cecidit  
 Jam certe: ( famæ frustra mendacia culpo)  
 Heu rapte ante tuum dulcis amice diem!  
 Heu! iucunda tuo subito lux rapta sodali,  
 Quem tibi Thesea junxerat usque fide  
 Communis patriæ viuclum, & tua plurima virtus;  
 Ultima nec solvit mors; tibi perpetuos  
 Quin gemius memor & lacrimas dem nocte perennes,  
 Atque die, sola tristior Alcyone.  
 Hæc timui, hæc flevi. Fletum, & quæcumque timebam,  
 Jam levis in nubes dispulit aerias